



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

48. An Novitio conferri possit beneficium sæculare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

fundatione aut per prescriptionem à regularibus institutos. Castrop. *loc. cit. n. 5.* Qui tamen paulò post addit sequentia: Quòd si tamen ex fundatione non constet pro secularibus tales Capellanas esse institutas; neque etiam constet per seculares 40. annis gubernatas esse, præsumenda sunt regularia beneficia; eò quòd fundata sunt in monasteriis ac conventibus; quia non est facile præsumendum, conventum consensisse, ut tales Capellaniae sibi unita à secularibus gubernarentur. Mascard. *de prob. concl. 172. n. 17.* Rodriq. *loc. cit. n. 3.* Sanch. *loc. cit. n. 27.* quos citat Castrop.

Quæres 46. An à regularibus in titulum haberi possint beneficia secularia simplicia, non facta regularia per prescriptionem v. g. Canonicius, Vicaria, non curata &c.

R Espondeo negativè: *c. cum de beneficio. c. super eo. de regular. Tamb. de iure Abb. to. 3. d. 9. n. 4.* expressè loquens de monachis. Less. *de iust. l. 2. c. 41. nu. 99.* (addens quoque hanc rationem, quòd in beneficiis simplicibus cesset ratio curæ & doctrinæ, ob quam promotio regularis ad Ecclesiam secularem est concessa) Covar. *de testam. l. 3. c. 2. num. 3.* Sanch. *l. 7. in Decal. c. 29. n. 75.* Garc. *p. 7. c. 10. nu. 28.* Suar. *de relig. to. 4. l. 3. c. 19. n. 26.* & alii cum communi, quos citat Castrop. *loc. cit. p. 3. §. 1. nu. 5.* Extenditque se responsio etiam ad Canonicos regulares: sic enim expressè decisi sum à Rota, & S. Congregatione super c. 10. sess. 14. Trid. apud Garc. *n. 29. & 31.* sic sentire omnes, ait Tondut. *qq. benef. p. 1. c. 180. n. 10.* excepto Viviano solo, quem meritò reprobatur Corrad. *in pr. dispens. l. 6. c. 1. n. 26.*

2. Neque in hoc dispensare potest Episcopus, cum nullibi hæc potestas ei collata reperitur. Abb. *in c. quod Dei. de statu monach. n. 5.* Less. *l. 2. c. 41. nu. 99.* apud Pirh. *ad cit. de prob. n. 117.* Sanch. *loc. cit. n. 76.* Castrop. *loc. cit.* Tondut. *loc. cit.* citans Corrad. *ubi antè.* Potest verò dispensare Pontifex, ut non secus habeant ea in titulum, quàm Abbatis suas, utpote quod non nisi iure Ecclesiastico statutum. Pirh. *loc. cit.* Navar. *comment. 4. de regul. n. 69.* Garc. *loc. cit. à n. 38.* Nec obstat, quòd *c. cum ad monasterium. de statu monach.* dicatur abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò annexa est regula monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiã dare &c. Nam præterquã, quòd Papa in voto solenni religionis dispensare possit, eò quòd solennitas voti sit de iure positivo Canonico, ut habet communissima Theologorum, & Canonistarum; de quo vide Abb. *ad cit. c. cum ad monast. Felin. in c. si quando. de rescript. Menoch. de presump. l. 2. presump. 10. n. 33.* Less. *l. 2. c. 4. dub. 11.* Valent. *to. 3. d. 6. q. 6. p. 7.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 8.* & alios quàm plurimos congestos apud Garc. *loc. cit. num. 43.* qui & ipse numeris seq. id fusè probat: præterquam etiam, quòd voto solenni paupertatis non nisi ex constitutione Ecclesiæ repugnet dominium retinendum vel acquirendum, sed magis usus. Garc. *n. 64. & 87.* Azor. *l. 12. c. 6. q. 4.* cum communiores; adeòque Papa dispensare possit, ut etiam manens monachus professus obstrictus voto solenni haberet dominium fructuum beneficii: præterquam denique, quòd verè religiosus esse possit absque voto solenni, ut constat ex constit. Gregor. 15. contingere in Societ. Jesu: Præter hæc omnia, inquam, opus non est indulgere ex hoc capite religioso proprietatem, neque propter hoc eum eximere aut extrahere à religione, sed sufficit talem regularem manentem regularem habere dispensationem & ad-

ministratorem rerum, qualem aliàs habent beneficiati regulares fructuum suorum beneficiorum regularium. Garc. *n. 88.* Nav. *de redit. Eccl. q. 1. monito 8. & 10.* quem vide, & apud Garc. *n. 89.* aliàs interpretationes cit. *c. cum ad monast.*

Questio 47. An constituti in ordinibus militaribus habere possint beneficia secularia?

R Espondeo: si verè religiosi sunt, hoc est, tria vota substantialia emiserunt, ut milites S. Joannis Hierosoly. & Teutonici; beneficia secularia habere non possunt Garc. *p. 1. c. 4. n. 21.* Navar. *l. 3. de regular. conf. 10. n. 9.* Rodriq. *qq. regul. to. 1. q. 34. a. 5.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 8. n. 42.* Lamb. & alii apud Castrop. *loc. cit. p. 3. §. 3. n. 1.* quibus licet ipse consentiat, num. tamen seq. contrarium censet probabile, citatque pro hoc Sanch. *in Decal. l. 6. c. 29. n. 103.* citatúsque ab eo Gamb. *de off. legati. n. 289.* sic idem probabile esse docet Pelizar. *in man. regular. to. 2. tr. 8. c. 6. scđ. 4. n. 234.* loquens expressè de militibus S. Joannis, datque Castrop. hanc rationem, quòd hujusmodi milites in communi modo vivendi statum secularem habeant, & seculares reputentur; quòd autem capaces sint beneficiorum regularium, intellige proprii ordinis, id esse favorem religionis, adeòque inde non inferendum, non esse capaces secularium. nam facilis id concedendum puto istiusmodi militibus, cum propriè religiosi non sint, eò quòd castitatem non nisi conjugalem voveant. Vide plura de his militibus apud Azor. *tom. 1. l. 13. c. 3.* Garc. *p. 1. c. 4.*

Quæres 48. Vtrum Novitio conferri possit beneficium seculare?

R Espondeo: conferri posse validè. Sanch. *in Decal. c. 4. num. 22.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 2. §. 5.* Garc. *p. 7. c. 10. n. 5.* manet enim sui juris; nec minùs capax est recipiendi tempore Novitiatùs novi beneficii secularis, quàm ante Novitiatum habiti retinendi; Neque etiam per acceptationem illius renunciare censetur religioni; cum possit eo animo acceptare, ut si religio non placeat, illud possit retinere; si minùs professione facta vacet: unde jam sequitur primò: quòd novitius cum alio beneficium suum commutare possit non secus ac alius Clericus secularis. Sanch. *loc. cit. n. 22.* Pirh. *loc. cit. n. 123.* Secundò: si beneficium vacet, quòd ex fundatione sua v. g. debetur primogenito familiaris, & is sit Novitius, nequaquam possit conferri alteri; sed conferendum illi, vel differendam illius collationem, si potest, quousque ille professionem emitat. Sanch. *n. 23.* Castrop. *n. 6.* His tamen non obstantibus minùs decens est dare Novitio beneficium seculare (intellige quod ei aliàs debitum non est) ne ei ansa detur redeundi ad seculum. Castrop. *loc. cit. n. 5.* Pirh. *loc. cit.*

Quæres 49. Num regularis etiam monachus citra dispensationem obtinere possit Episcopatum etiam in seculari Ecclesia?

R Espondeo affirmativè: *Clem. 1. de elect. c. si religiosus. c. nullus religiosus. c. querendum. de elect. in 6.* Garc. *loc. cit. n. 30.* cum communi.

Quæres 50. An nomine dignitatis Episcopalis, ad quam eveli potest religiosus, comprehendantur etiam qualibet alia Prælatura habentes propriè curam animarum?

R Espondeo utrumque videri probabile. affirmativam tenet Less. *l. 2. de iust. c. 41. n. 99.* inquit: regu-